



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Consilia Seu Responsa Juris**

**Schmalzgrueber, Franz**

**Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL**

Cons. XXXIX. Benedictionis, qua non accepta an competat Abbatibus  
Administratio?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72304)



## CONSILIUM XXXIX.

### In causa neglectæ Benedictionis Abbatialis;

#### SUMMARIUM.

1. Facti species.
2. Abbates nondum benedicti possunt administrare ea, quæ sunt jurisdictionis.
3. seqq. Recensentur rationes, ex quibus Abbas ante obrentam Benedictionem non videtur posse facere ea, quæ sunt Ordinis:
6. Olim secundum jus commune id non potuit;
7. Concessa sunt hac in re variis Privilegia,
8. Benedictio non est simpliciter necessaria in Abbatibus ad actus Ordinis.
9. Potestatem dandi Miores Ordines &c. habent Abbates non à Benedictione, sed ex concessione Ecclesie.
10. Respondetur ad argumenta opposita.
11. Novum Decretum circa Benedictionem Abbatum.

#### FACTI SPECIES.



Abbas Monasterii N. post electionem in sua persona factam, & à Superiore confirmatam, administrat omnia, quæ ad Officium Abbatiale pertinent, & aliàs per Abbates benedictos live de jure, sive de Privilegio communiter fieri solent, non sollicitus de Benedictione ab Episcopo petenda, vel recipienda, idque prætextu Privilegii Apostolici, quo dicit se, & alios Abbates sui Ordinis esse exemptos ab onere suscipiendi Benedictionem.

#### QUÆRITUR

*An Abbatibus competat administratio ante susceptam Benedictionem?*

2. CERTUM est posse Abbates nondum benedictos administrare ea, quæ jurisdictionis sunt: idque sumpto argumento à pari cum Episcopo, qui post confirmationem electionis de se factæ, licet nondum sit consecratus, per hanc ipsam electionis suæ confirmationem acquirit plenam administrationem, & exercitium omnium Prælatuæ jurium tam spiritualium, quam temporalium, exceptis iis duntaxat, quæ majoris inquisitionis discussionem exigunt, & ministerium consecrationis desiderant, prout dicitur c. transmissam 15. de Elect. & Elect. potest.

ergo idem poterit etiam Abbas electus, & confirmatus, licet nondum sit benedictus. Idque procedit, etiam si speciali circa hujusmodi administrationem faciendam privilegio munitus non sit; nam jurisdictionem dat electio confirmata, non benedictio Abbatialis.

Dubium est, an possit etiam ea, quæ sunt Ordinis, & per Abbates aliàs benedictos fieri ex privilegio juris communis solent, ut est collatio primæ tonsuræ, & Ordinum Minorum, consecratio calicum, benedictio paramentorum &c. Rationem dubitandi facit 1. can. quoniam 1. dist. 69. ubi licentia Lectoris faciendi datur Abbati, cum addito, si tamen eidem Abbati manus impositio facta noscatur ab Episcopo, secundum morem præficiendorum Abbatum. Quam Constitutionem à Synod. 7. c. 14. factam, c. cum continet 11. de atar. & qualir. præfic. renovat Innocentius III. ubi ad quæstionem, an Laicis, qui ad Monasteria convolantes, à suis Abbatibus tonsurantur, Clericatus ordo in tonsura hujusmodi conferatur, respondet, hanc licentiam in dicta septima Synodo adjudicatam, repetens ejusdem Synodi adjectam clausulam, dummodo ipsi ab Episcopo, secundum morem præficiendorum Abbatum manus impositio facta noscatur. Per manus impositionem autem nihil aliud ibi intelligitur, quam benedictio, ut exponit Gloss. in can. quoniam cit. V. impositio, & notat Abb. ibid. pr. cum communi DD. apud Tamburin. de jur. Abb. tom. 2. D. 2. q. 3. n. 1.

igitur ad hoc, ut Abbates Ordinis potestatem acquirant, necessario erunt benedicendi; aliàs non poterunt Monachos suos benedicere, nec ordinare.

2. Quod speciali privilegio aliquibus, & in certo duntaxat casu concessum est, non potest

potest suffragari aliis simili privilegio non inunitis, imò nec illis ipsis, quibus tale privilegium concessum est, licebit isto uti extracatum, pro quo illud concessum est. atqui privilegium exercendi Pontificalia, ante obtentam Benedictionem ab Episcopo,

per c. statimus 1. de supplend. negl. Prælar.

datum est tantum Abbatibus Cisterciensibus, & quidem duntaxat in casu, quando Episcopus, cum humilitate, & devotione requisitus, electos, & confirmatos benedicere sine causa renuerit, ut patet ex textu c. cit. ibi, Statuimus præterea, ut si Episcopus, tertio cum humilitate, & devotione (sicut convenit) requisitus, substitutos Abbates vestros benedicere forte renuerit, eisdem Abbatibus liceat proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad officium huiusmodi pertinent, exercere, donec ipsi Episcopi suam duritiam recogitent, & Abbates benedicere non recusent, igitur Privilegium hoc ad alios aliorum Ordinum Abbates, qui simili privilegio instructi non sunt, imò ne in ipsis quidem Abbatibus Cisterciensibus ultra casum, quo Episcopus Benedictionem injustè negat, vel differt, extendi non debet.

3. Quod in Episcopis est consecratio, hoc in Abbatibus est Benedictio in ordine ad executionem sui officii. atqui Episcopus per consecrationem primùm consequitur plenitudinem officii Episcopalis, ita, ut exercere possit omnia, non solum, quæ jurisdictionis, sed etiam quæ Ordinis Episcopalis sunt

c. transmissam 15. cit.

Imò Archiepiscopus Archiepiscopalis Officii sui plenitudinem primùm obtinet post receptionem pallii,

ut habetur c. nisi specialis 3. de auctorit.

Et us. pall.

ergo nec Abbas habebit plenitudinem potestatis Abbatialis, & saltem ea, quæ sunt Ordinis, exequi nequibit, antequam Benedictionem Abbatialem acceperit, ut ad eò Benedictio conferat Abbatibus potestatem conferendi Minores Ordines, consecrandi calices, benedicendi paramenta, & vestes sacras &c.

5. Sed distinguendum est inter tempora. Olim secundum jus commune antiquum Abbates ante Benedictionis susceptionem non poterant Ordinis actus exercere, ut videtur significari

c. cum contingat num. 3. allegat.

& relatis ibidem istius verbis, ubi cum dixisset Pontifex, Abbates posse Monachis suis Lectoratum conferre, subdit, Dummodo ipsis ab Episcopo, secundum morem præficiendorum Abbatum, manus impositio (hoc est benedictio) facta noscatur. Postea hoc jus ex parte ampliatur est ex concessione Alexandri III. c. statimus cit. Cisterciensibus facta, ubi, ut num. 4. vidimus, cor-

R. P. Schmalzgrueber Consilia

ceditur, ut si Episcopus, tertio cum humilitate, & devotione requisitus, Abbates benedicere renuerit, liceat istis proprios Monachos benedicere, & alia, quæ ad huiusmodi officium pertinent, exercere, donec ipsi Episcopi suam duritiam recogitent, & Abbates benedicere non recusent.

7. Demum ex speciali Sedis Apostolicæ indulto quibusdam Ordinibus Religiosis concessum est, ut munus suum exercere possent Abbates non solum benedicti, & si, quibus Episcopi, tertio humiliter requisiti, Benedictionem impendere recusaverint, verum etiam non benedicti, imò nec benedicendi, ut constat ex Privilegio 6. concessio ab Eugenio IV. Cisterciensibus de observantia in Hispania 1437. ubi voluit, ut Abbates triennales, licet eis benedictionis munus non impendatur, omnibus, & singulis honoribus, præminentibus, Privilegiis, prærogativis, iuribus, & Insignibus Abbatialibus fungi possent. Quod privilegium dein renovavit, & clarius explicavit Julius II. ubi expressè, & in specie concedit his Abbatibus temporaneis, non benedictis potestatem Novitios, & alios quoscunque sibi subditos, prout poterant perpetui Abbates, Clericali caractere insigniendi. Simile Privilegium Eugenius IV. 1434. 3. Id. Jan. concessit Congregationi S. Justinæ de Padua: quod idem Pontifex eidem Congregationi confirmavit per aliam Bullam datam Bononiæ 1436. prid. Cal. Jul. Idem indultum Julius II. fecit Monachis, & Abbatibus Olivetanis prid. Cal. Jun. 1507. & Congregationi Vallis Umbrosæ Idib. Jul. eodem anno. Item Camaldulensibus Leo X. & S. Pius V. 1566. Cal. Febr. Abbatibus Canonicorum Regulatium.

8. Ex quo sequitur, Benedictionem in Abbatibus non esse simpliciter necessariam ad hoc, ut ea, quæ sunt Ordinis, exercere possint,

ut notat Tamburin. de jur. Abb. rom. 1. D. 11. q. 3. n. 7. & rom. 2. D. 2. q. 3. in fin.

Nam potestatem exercendi actus Ordinis consequuntur ex Privilegio generali, concessio Abbatibus benedictis

can. quoniam, & c. statimus cit.

quod deinde per summos Pont. extensum fuit ad Abbates non benedictos; non autem per Benedictionem, quippe quæ non imprimat characterem, neque à Christo est instituta, ita, ut ad talem potestatem dandi Ordines simpliciter necessaria putanda sit.

Tambur. D. 11. cit. q. 3. n. 6.

Consentit

Card. in Clem. attendentes, §. statimus; q. 5. & seq. de stat. Monach.

dicens, Abbatem etiam sine benedictione posse ea, quæ sunt sui officii per c. statimus (Bbb 2) mus

mus 1. cit. & quòd hæc benedictio sit potius de solennitate, & ad bene esse, quàm de substantia: quem sequitur

Imol. *ibi col. 8. & Felin. in c. eam te. col. 6. n. 7. de rescript. & in c. inter Monasterium col. 2. n. 2. de sent. & rejud.*

9. Hinc, quando dicitur, quòd Benedictio conferat Abbatibus potestatem dandi Minores Ordines, id non est intelligendum, ut ipsi Benedictioni naturaliter, seu de jure divino sit annexa hujusmodi potestas; nam si ita annexa esset, Pontifex, qui quoad ea, quæ de jure divino ad Sacramentorum collationem pertinent, dispensare non potest, in casu negligentia, & contumacia, de quo casu loquitur *c. statuumus cit.* Abbatibus potius dedisset licentiam eligendi alium Episcopum, qui illis hoc Benedictiois munus impenderet, quàm absque Benedictioe exercendi omnia, quæ ad eorum officium pertinere noscuntur: sed hoc intelligi debet ita, ut Abbates in actu solenni Benedictiois consequantur prædictam auctoritatem, supposita concessione Ecclesie, & adminiculo habitus Sacramenti ( scilicet Ordinis Presbyteratus ) ita, ut Abbas Presbyter eo ipso, quòd solenniter benedicitur, ex antecedenti concessione Apostolicæ Sedis, de qua *can. quoniam cit.* consequatur dictam potestatem Minores Ordines conferendi: & sic Benedictio,

ut notat Fagnan. *in c. statuumus cit. n. 6.*

( de jure communi, & præciso Privilegio ) est veluti conditio *sine qua non*, ut exercere possint potestatem conferendi Minores Ordines, quam accipiunt in actu Commissionis Apostolicæ, vel promotionis ad dignitatem, cui Privilegium istos Ordines conferendi cum adminiculo habitus Sacramenti concessum est. Potest autem Sedes Apostolica conditionem istam remittere, & Abbati Presbytero etiam non benedicto concedere potestatem eos Ordines conferendi, ut patet in Cardinalibus, qui absque benedictione speciali ejusmodi potestate pollent, & in Abbatibus, qui circa hoc Privilegio Apostolico muniti sunt.

IO.

Respondetur ad rationes dubitandi.

Ex his patet responsio ad rationes dubitandi allatas *num. 3. & duobus sequentibus.* Ad 1. Benedictio olim erat, & nunc præciso Privilegio, est necessaria Abbatibus, ut plenitudinem potestatis Abbatialis obtineant, non simpliciter, & essentialiter, quippe quæ, ut *num. 8. & 9.* dictum est, non per ipsam Benedictioem, sed in præcedente actu Commissionis Apostolicæ, vel promotionis ad dignitatem Abbatialem confertur: sed potius tanquam solennitas, & ad melius esse, vel ad summum tanquam conditio *sine qua non*, ut tum primum, nisi Privilegio speciali instructi sint, licite exercere potestatem eam possint. Eadem est responsio Ad 2. pro quo præterea no-

tandum, Privilegium in *c. statuumus cit.* ut in casu, quo Episcopus debite requisitus Benedictioem impertiri renuit, Abbates exercere etiam ante hujus consecutionem possint, quæ ad officium Abbatiale pertinent, datum quidem primò esse Abbatibus Cisterciensibus, ex communi tamen doctrina ad reliquorum Ordinum Abbates extendi, prout advertit

Azor. *p. 1. l. 12. c. 20. q. 6.*

Ad 3. Inter Episcopos, & Abbates lata est disparitas; nam Episcopi ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, ex vi Characteris habent jure divino, quæ proinde potestas, ne valide illam exerceant, ipsis ab Ecclesia non potest tolli: contra Abbates potestatem conferendi Ordines Minores, consecrandi calices &c. habent duntaxat ex concessione Ecclesie, quæ proinde, sicut potestatem hanc ipsis dedit, ita etiam auferre potest, quo casu collatio Minorum Ordinum &c. ex communi DD. foret irrita.

Hactenus disputata ostendunt, æquissimam esse resolutionem per Congregationem particularem, à Sanctissimo Domino nostro Benedicto XIII. desuper deputatam, datam ad quæstionem, utrum Privilegia Apostolica, quorum vigore Abbates Regulares, non ratione Monasterii, sed administrationis perpetui, Benedictioem Abbatialem vel omnino non suscipiunt ab aliquo Antistite, vel eam suscipiunt à quocunque Catholico Antistite sibi bene viso, imposterum sint observanda, an contra, iis non obstantibus, declarandum, ut etiam ipsi Benedictioem suscipiant ab aliquo Antistite, & à quo? Ad hoc dubium eadem S. Congregatio hoc ipso anno 1725. primo labentis mensis Maji respondit, quoad Abbates, qui muniti sunt Privilegio Apostolico speciali, ut habeantur pro benedictis, item quoad eos, qui ex simili Privilegio Benedictioem suscipiunt à suis Superioribus, vel eorum Delegatis, nihil esse innovandum, imò declarandum, Privilegia hæc esse penitus observanda. Abbatibus verò, qui præterdunt Privilegia exemptiva ab onere suscipiendi Benedictioem per simplicem communicationem generalem, talia Privilegia non suffragari, sed omnino ab his suscipiendam Benedictioem.

Quoad eos verò Abbates, qui habent Privilegia suscipiendi Benedictioem à quocunque Catholico Antistite, eadem Congregatio declaravit, eos teneri Benedictioem suscipere à proprio Episcopo, vel à Metropolitanano, & ita imposterum in Bullis, à Cancellaria Apostolica desuper expediendis, injungendum; si verò Episcopus, quem Abbas elegerit, negligat Benedictioem petitam conferre, tum primum eundem posse istam suscipere à quocunque Catholico Antistite. Additur, Abbates electos solum teneri infra annum Be-

Benedictionem petere, & suscipere, & interim liberè exercere posse jura sua Abbatia: ipsam verò Benedictionem impertiendam omnino gratis, & absque solennitatibus secum ferentibus aliquod impendium, etiam prandii, prohibita Episcopis benedicientibus, eorumque Officialibus, Ministris, ac etiam assistentibus receptione cujuscunque muneris causâ, intuitu, & occasione dictæ Benedictionis, sub pœna interdicti ab usu Pontificalium per annum. Declaratio hæc ad verbum sic habet:

13. Martis 1. Maji 1725. stantibus Privilegiis Apostolicis, quorum vigore Abbates Regulares, perpetui non ratione Monasterii, sed ratione administrationis, non suscipiunt Benedictionem ab aliquo Antistite, vel suscipiunt à quocunque Catholico Antistite sibi bene viso, an consulendum sit Sanctissimo, ut, dictis Privilegiis non obstantibus, declaret, Benedictionem ab Abbatibus hujusmodi esse suscipiendam, & à quo Antistite? vel derogat dictis Privilegiis? Proposito hujusmodi dubio in Congregatione particulari, à SS. D. Nostro deputatâ, Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Pici, Zonedari, Corradini, Ptolemei, & Polignach; nec non DD. Archiepiscoporum Naupactensis, & mei Philippenfis, illud fuit ita resolutum.

14. Consulendum Sanctissimo, edi posse Constitutionem Apostolicam declarativam, & respectivè dispositivam hoc modo, videlicet 1. ut respectu Abbatum, prætendencium Privilegia exemptiva ab onere suscipiendi Benedictionem per simplicem communicationem generalem, talia Privilegia non suffragentur. 2. ut respectu Abbatum, habentium Privilegia suscipiendi Benedictionem

„nem à quocunque Catholico Antistite, teneantur Benedictionem suscipere à proprio Episcopo, vel à Metropolitanò, & ita impostum in Bullis, à Cancelleria Apostolica desuper expediendis injungi debeat; quatenus verò ab illo, quem elegerit Abbas, negligatur Benedictionis ministratio, juxta dispositionem c. statumimus de suppl. negl. Pralat. Abbas electus valeat à quocunque Catholico Antistite eandem Benedictionem suscipere.

15. „Ita tamen, ut per declarationem, & dispositionem hujusmodi non intelligatur ullo modo suspensum exercitium jurium Abbatialium, sed solummodo Abbates electi teneantur infra annum Benedictionem suscipere, & respectivè expostulare ad normam dicti c. statumimus de suppl. negl. Pralat. interim exercendo omnia jura Abbatialia.

16. „Pro qua quidem Benedictione suscipienda interdicenda erit Episcopis benedicientibus, eorumque Officialibus, Ministris, ac etiam Assistentibus receptio cujuscunque muneris, causâ, intuitu, & occasione dictæ Benedictionis, tam antè, quam post, etiam sub nomine xeniorum, dulcium &c. idque sub pœna Interdicti ab usu Pontificalium per annum, quòdque Benedictiones hujusmodi impostum fiant sine solennitatibus secum ferentibus aliquod impendium, etiam prandii.

17. „Quo verò ad Abbates, habentes privilegia suscipiendi Benedictionem à suis Superioribus Regularibus, vel eorum Delegatis, & respectivè munitos Privilegiis, ut habeantur pro benedictis, nihil profus; innovandum, imò declarandum, privilegia esse penitus observanda

CONSILIUM XL.

In Causa Mortuarii pro debito oppignorati.

SUMMARIUM.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Facti species.  | 9. Canonicus primo anno, quo fructibus caret, tenetur recitare Horas Canonicas. |
| 3. seqq. Debita à Beneficiario relicta unde solvi debeant? | 10. Renuntians Canonicatus non habet jus ad Mortuarium.                         |
| 8. Res, quæ adhuc sunt in spe, oppignorari possunt.        | 11. Conclusio dictorum.   |

(Bbb 3)

FACTI